



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm  
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

Reverendissimo Atqve Illvstrissimo Principi Ac Domino, Domino Wolfgang  
Archiepiscopo Moguntinensi, S. Romani Imperii per Germaniam  
Archicancellario & Electori, Domino meo clementissimo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)


REVERENDISSIMO ATQVE  
ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AG

DOMINO, DOMINO WOLFGANGO ARCHIE-

piscopo Moguntinensi, S. Romani Imperii per Germaniam

Archicancellario & Electori, Domino meo

clementissimo.



Ellicudini tuae, quanta possum reuerentia & animi submissione, Reueren-  
dissime atque Illustrissime Princeps, in tutelam & patrocinium Deo dica-  
tum opus, offero: non velut meum, sed tanquam publicus & fidus literariae  
rei curator: qui operi praestantissimo exsulanti contra asperimos rerum sa-  
cratarum violatores vicaria tutela cautum desidero. Sacrilegii alias instar  
esset, Religioni Supremi numinis vota, prophano, proprioque iuri vindi-  
care, deque illis ac suis rebus largiri, cum illa, quae diuini iuris sunt, ita com-  
mercio humano exempta sint, vt nullius priuati fieri possint. Praestantiam  
operis alio encomio, aliusve verborum lenociniis non adornabo, quam a  
proprio ipsius Auctoris titulo, nimirum, quod verissime Iuris vniuersi atque legum pene omnium  
gentium & rerum publ. methodica sit digestio. Praeclarum equidem opus est, & nescio, siue qua ma-  
teriam generis spectes, siue qua formam, an opus vtrique foro, (ecclesiastico scilicet & ciuili) imo &  
politicarum rerum studiosis, vtilius, fructuosius & magis necessarium nostra aetas protulerit. Petun-  
turne Iura rerum? Neque Diuinarum, neque Publicarum, neque Priuatarum, neque feudalium co-  
pia deest. Libetne personarum cuiuscunque dignitatis, conditionis & qualitatis rationem cogno-  
scere: Ea ab origine (& ab ipsis, vt aunt, cunabulis,) artificiosa dispositione traditur: omnium ordi-  
num iura & ecclesiasticorum & ciuilium tam compendiose pertractantur, vt ea, velut in tabella, sin-  
gula exactissime conspiciere liceat. Pari modo nec minore felicitate contractuum, actionum, & iu-  
dicatorum vtriusque fori vsus & consuetudo proponitur, adeo vt meritissimo iure quis dixerit, Hoc  
opus

DEDICATIO SYNTAG. IURIS.

opus legum omnium penum variam refertissimam, optimaque serie dispositam esse, & in eam (vel uti in compendium) lus vniuersum coisse. Denique quæ hinc & inde occulta, confusa, sparfa, & longis interuallis per ecclesiastica, ciuilia & historica scripta, diffusa, incredibili molestia & inexhaustis laboribus atque vigiliis peruestiganda erant, ea nunc in hoc iuris vniuersi Syntagmate tam naturali & artificiosa methodo composita atque digesta sunt, vt perenti vel vltro se offerant, etiam citra inuestigandi fastidium.

Hæc omnia cum aperte vtilitatem operis maximam demonstrarent, (vt & illæ apud Gallos iteratæ editiones) operæ pretium facturum me, atque adeo rem Germaniæ nostræ, ceterisque a Gallia remotis gentibus, gratissimam & vtilissimam existimaui, si typis nostris illud excudendum committerem, vt facilitate pretii, & exemplarium abundantia, (quorum alterius caritate, alterius vero ob raritatem difficultate hæctenus quamplurimi ab illius comparatione auersi fuerant) legum amatores ad illius coemptionem inuitarem: meoque hoc labore, Reipub. literariæ vtilitatem pro viribus meis promouerem. Quod vt facerem etiam Germanorum & Gallorum viri plurimi, grauissimi, atque doctissimi serio adhortati sunt.

Commoditate itaque publica, vt & doctissimorum virorum monitu victus, licet me seculum hoc rei literariæ & nobis durissimum atque infensissimum terreret, opus excudendum suscepi. Sed quo melius, purius & auctius per me in publicum exiret, exactissime virorum eruditorum præcognitioni commendaui, cum per iniuriam temporis ipsius auctoris præsentia & ope frui non liceret, ne quid deinde, quod ad vrentium commoditatem facilitatemque facere posset, requireretur. Quod cum ita factum esset, etsi magno studio, neque minore sumtu peregrinum hoc opus, (quod hospitale meum erga illud officium postulare videbatur) auxissem atque adornaassem: nondum tamen debitum plene exsoluisse mihi visus sum, nisi id ipsum in Adem sacram piamque alicuius tutelam reposuissem.

Nouum forte hoc superuacuum, vel impium etiam quis dixerit Potentissimo Numini dedicatum humano insuper præsidio velle munire: Maxime cum Deus (vt Philosophus ait) nullis indigeat, isque solus & vnus

— *Cunctos umbone repellere possit.*

Sed neque superfluum neque impium id est. An non quæ Deo & Christo saluatori oblata vel relicta sunt ad curam Reuerendissimorum Oeconomorum pertineant? An nõ quæ diuini Iuris sunt, cum nullius in bonis vel sint, vel esse possint, extra tuitionem & patrocinium humanum cupiditati, calumniæ, & rapinæ omnium sint relinquenda? Hoc certe quis impium merito dixerit. Non sunt, vt arbitror, contraria, Dei esse, & humano patrocinio mediante, defendi, sed subordinata.

Circumspicienti itaque mihi & serio deliberanti, cuius præsidio tuto atque intrepide sacratum hoc & votiuum munus, vt nunc a me emendatum, melioratumque prodit, restituerem, nulli hoc æque aut meliore iure deberi ac Reuerendissimæ Cels. Tuæ existimaui, idque ob multas easque non leues causas. Ne quid dicam de Inclyta atque Illustrissima Maiorum tuorum progenie, vt taceam tuam ipsius Pietatem, clementiam, temperantiam, virtutes denique omnes quibus cum Illustriss. maioribus tuis non modo certare, sed eos longe antecellere velle videris. Quis ignorat, quam excelso dignitatis gradu Deus Opt. Max. Cels. Tuam collocauerit: Non suffragiis amicis, non sorte, sed sola pietatis atque virtutis laude ad illud honoris fastigium, quod per Germaniam, & sacrum Imperium Romanum in Diuinis negotiis, Celsitudini tuæ primum, in ciuilibus vero post Imperatoriam Maiestatem augustissimum obtigit, euectus es. Sacratum illum & Diuinum Archiepisc. opatus honorem intuemur? An non rerum diuinarum & personarum quoque imperium & curam Celsitudini Tuæ Deus commisit? Nullus equidem iura illarum hæctenus hoc nostro auctore apertius atque dilucidius tradidit. Summus ille Electoratus conspiciatur? Et Imperii quoque iura traduntur. Amplissima illa Archicancellariatus dignitas spectatur? An non eius intuitu, iustitiæ & æquitatis custos præfectus iuris & supra rigidas leges dispensator constitutus es? Quis nostro auctore iustitiæ & æquitatis regulas breuius atque apertius tradidit? Quis etiam Cels. Tua vtrique muneri sanctius, integrius, iustius præfuit? Quam incredibili animi moderatione, vtriusque status gubernacula pietatis atque iustitiæ ductu, hoc ancipiti, atque adeo turbulentissimo seculo Cels. Tua, ad Pacis portum direxerit, non tuæ sedis subditi tantum clamant, sed vniuersum Romanum Imperium publice testatur. Ni-

DEDICATIO SYNTAG. IVRIS.

hil enim statim ab Electionis Tuæ primordio antiquius, nihil ordini & dignitati conuenientius esse duxisti, quam litium fata properare earumque causas, (ne mala altius in Germaniam nostram serperent,) vicinis præcidere & pacem sanctissime colere. Hoc itaque tam incredibile pacis conferuandæ augendæque studium, & innata illa illustri animo mansuetudo, cum maximum in toto Imperio, Illustris. Celsitudinis Tuæ, amorem pepererunt, omnesque Imperii subditos C. Tuæ ita obstrinxerunt, vt perpetuas preces pro salute, incolumitate & diuturno felicitique C. Tuæ Imperio ad Deum fundant: tum etiam nos ante ceteros omnes (quibus literatarum operarum studium curæ est, quæque in otio tantum & pace, non etiam in bello vigent) tanti beneficii immemores esse non decet.

Accedit & illud quod Illustris. C. Tua omnium facultatum studia, illorumque cultores tanto completatur fauore, illisque tam promptam suppetias ferendi voluntatem offerat, sicuti etiam ipso facto voluntatem declarat, & summa humanitate opem & auxilium flagitantibus impartitur, vt iure meritissimo inter Germaniæ Proceres solus literatorum patronus, & vt ita dicam, Parens haberi debeas.

Vt igitur aliquod meæ in Cels. Tuam gratitudinis monumentum perpetuum pro beneficio illo publico, atque innata illa in literatos clementia, solitoque fauore etiam a me ponatur, publiceque tuæ præclarissimæ virtutes magis magisque orbi Christiano clarescant atque æternentur, Illustrissimo Nomini Tuo, præstantissimum hoc opus, qua per me auctius, melius, ornatius factum curatumve est, consecro, inque clientelam & patrocinium tuum summa cum animi deuotione offero. Hoc insuper Celsitudinem Tuam supplex rogans, vt me deinceps cum tota mea libraria colonia, quam maximis sumptibus ex Gallia in Germaniam nostram non ita pridem deduxi, solito suo fauore, subsidio atque clementia complecti, & aduersus omnes Zoilorum obrectatorumque insultus tueri atque defendere dignetur.

Sereno itaque vultu, Reuerendissime atque Illustrissime Elector, & pro ingenita tua in pios conatus humanitate præfens hoc opus æternum, meæque in C. T. obseruantia testimonium suscipito. Quod si ita fiat, meque Cels. Tua, voti mei, vt plane futurum confido, compotem faciat, plurimorum optimorum auctorum editione Germaniam nostram beabo, Deo Optimo Maximo cæptis nostris feliciter aspirante.

Eundem Ter Maximum ex toto pectore oro, vt Reuerendissimam Tuam Cels. quam diutissime incolumem seruet, eique dona Sanctissimi sui Spiritus indies magis magisque augeat, quo crescentibus vtriusque status ærumnis tempestiue prudenterque mederi possit, eaque animi dexteritate, virtute & sapientia futura mala depellere, vt velut olim, ita etiam in posterum tota Germania fructum Pietatis & Iustitiæ Tuæ percipiat.

Bene vale, Illustrissime & Reuerendissime Princeps, Deus Celsitudini Tuæ perpetuo adsit. Francofurti ad Mœnum Kal. Mart. Anno virginei partus, 1599.

*Reuerendissimæ Celsitudini tuæ*

*deuotissimus Cliens*

*Iohnas Rhodius Petri Fischeri Bibliopola  
Francofortensis Successor.*

BENE.